



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 2. De quantitate Europae veteris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Quartum, CELTICA cuius nominis disertè meminit Ptolemaeus lib. 2. non Geogr. vt vulgò citatur, sed *operis Quadrupartiti*. Quomodo autem Celtæ sparsi sint per totam Europam probatum leges apud Ortelium in aduersâ parte Europæ Antiquæ, & Cluverium lib. 2. Ger. Ant. cap. 2. & sequentibus.

Quintum, EVROPA Græcis Εὐρώπη, & Εὐρωπαϊά, quod nomen habet, vel ab Europâ Tyriâ per Iouem raptâ, vel ab Europeo Rege vt aiunt Trogus, & Tzetzes in Lycophro: qui fortè Sicyoniorum Rex fuit cuius meminere Pausanias, & Eusebius. Festus dictam ait à pulchritudine regionis, videlicet quasi nomen pulcherrimæ virginis regionem *Εὐραλί* optimè exprimat. Cætera autem quæ à Goropio huc inuehuntur, hominem otiosum sapiunt.

§. 2. De quantitate Europæ veteris.

NON hic loquor de eius Figurâ quam Strabo *πολυχημοσάτην πάντων* appellat: neque de eius comparatione cum Dracone cuius caput *Hispania*, collum *Gallia*, alas expansas *Cymbrica Chersonesus*, & *Italia* effingant: id enim apud Strabonem vulgò citatum non memini me legere. Tantùm hîc considerabo eius extensionem penes longitudinem & latitudinem.

LONGITVDO *Herodoto* est *Asiæ* & *Africæ* similis. *Straboni* paulò minùs triginta millibus Stadiorum: *Plinio* octuagies quatercenties & quatuordecim millium passuum: *Ptolemæo* quadraginta octo graduum maioris circuli, hoc est viginti quatuor millium Stadiorum.

LATITVDO *Straboni* est quatuordecim millium & centum Stadiorum: *Plinio* decies sexies, & octodecim millium passuum: *Ptolemæo* denique 28. graduum, hoc est quatuordecim millium Stadiorum.

§. 3. De qualitate veteris Europæ.

DE QUALITATE huius regionis inuenio antiquos quatuor insigniora notasse.

PRIMUM, *inter mundi partes omnes saluberrimam esse*. Ita Varro lib. 1. de re Rusticâ, quam idè anteponit *Asiæ*, quia Europa in *Borcâ* magis vergit, quæ *Mundi* pars est salubrior. Huius quo-